
POLEMON



DE ASANDRO ET POLEMONE

CIMMERII BOSPORI REGIBUS QUAESTIONES CHRONOLOGICAE ET NUMISMATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
ANTIQUARIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI. M. JULII A. MDCCCLXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ALFREDUS DE SALLET
SILESIUS.

ADVERSARII:
EUGENIUS BORMANN, DR. PHIL.
ALFREDUS HOLLAENDER, DR. PHIL.
THEODORUS LINDNER, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

De Bospori Cimmerii et Ponti Polemoniaci qui dicitur regum nummis multi jam disputaverunt quorum nomina ac scripta quum longum sit enumerare vide infra in dissertatione ipsa laudata. Omissis igitur reliquis omnibus hoc loco unum honoris causa nominandum esse censeo Koehlerum qui in libro suo „Serapis" inscripto (edit. II. cur. Stephani Petrop. 1851) ingeniose de Asandri archontis, dein regis Bospori Cimmerii nummis disseruit. Quem virum doctissimum, etsi praeclare de nummis egerit, tamen in ea commentatione saepe errasse nummi ipsi notis chronologicis insignes docent qui Koehlero jam e vivis erepto recens reperti sunt. Quorum justum nummorum numerum publici juris fecit Baro de Koehne splendido ac magnifico libro qui inscribitur: „Musée Kotchoubey et recherches sur l'histoire et la numismatique des colonies grecques en Russie etc." II voll. Petrop. 1857, adjectis fidelibus ac nitidis nummorum iconismis. Quod Koehnii opus quum erroribus et abundet et magna negligentia sit conscriptum, operae pretium esse existimavi, in singulos Bospori Cimmerii et Ponti Polemoniaci regum nummos diligentius inquirere.

I. ASANDER

archon, dein rex Bospori Cimmerii. 708/9 — 737/38.

Pharnaces Mithradatis VI. Magni filius Cimmerii Bospori rex quum bellum contra Romanos paterni regni provincias recuperaturus moveret, Asandrum qui Bosporo praeesset reliquerat[1]). Qui quum rex satis longe abesset Romanos sibi gratias acturos esse sperans seditione facta regno Bosporano ipse potitus est[2]). Quo facto Pharnaces, frustra Asandri seditionem componere conatus, a Caesare magnis itineribus cum exercitu appropinquante ut in Asia minori resisteret coactus est et a. d. IV. non. sextil.[3]) 707 ad Zelam Ponti victus cum paucis equitibus Scythicis atque Sarmaticis in Bosporum profugus Theudosiam quidem et Panticapaeum in potestatem suam redegit, sed non multo post ab Asandro victus et interemptus est[4]).

De Asandro, qui rege mortuo Bosporo praefuit, auctores graecos secutus pauca afferam: Caesar Pharnace interfecto Mithradatem Pergamenum, Mithradatis Magni ex pellice filium, cui jam antea tetrarchiam quandam Galatiae regisque nomen dederat[5]), Bospori Cimmerii regem fecit eique bellum in Asandrum man-

---

[1]) Dio Cass. 42. 46.

[2]) Dio l. c.

[3]) Mommsen Corp. inscr. lat. 324 ex calendario Amiternino:
FER*iae q*VOD · EO · DIE · C · CAES
C · F · IN · H*ispan. citer. et* QVOD · IN · PONTO
EO · DIE · RE*gem Pharnac*EM · DEVICIT ·

[4]) Dio 42. 47. Appian. Mithr. 120.

[5]) Dio 42. 48.

davit[6]). Hunc vero Asander praelio victum interfecit[7]) et ducta Dynami, Pharnacis filia[8]) — scilicet ut legitimus regis Pharnacis heres esse videretur — Bosporanum regnum a Romanis non vexatus per multos annos tenuit.

Lucianus[9]) eum ethnarchae primum nomine usum ab Augusto regem appellatum esse narrat, sed nummi Asandrum archontis nomine Bosporo praefuisse et jam III virorum r. p. c. aetate, a M. Antonio, ut videtur, regem factum esse confirmant[10]). Asander, per multos annos Bosporanorum rex isthmo Chersonesi Tauricae ad mare Maeoticum munito finibusque imperii usque ad Tanain flumen propagatis[11]) obiit mortem voluntariam, Scribonio quodam, qui se Mithradatis Magni nepotem esse ferebat, Bosporanum regnum occupante, annos XCIII natus[12]). Qui Dynami Asandri vidua regnique herede in matrimonium ducta paullo post Polemone

6) Dio l. c. et Hirt. bell. Al. c. 78.

7) Strab. XIII, 4. 3.

8) Dio 54. 24. Asandrum interfecto Pharnace Dynamin uxorem duxisse Appianus (b. civ. II, 91) qui Pharnacem Caesari eum exercitu appropinquanti filiam: τὴν Φαρνάκου θυγατέρα uxorem obtulisse narrat mihi quidem comprobasse, Pharnace vero vivo Asandrum regis generum fuisse Boeckh Corp. inscr. gr. Vol. II, p. 94 perperam putasse videtur. Omnino tamen certum non est, filiam Pharnacis Caesari oblatam atque Dynamin eandem fuisse.

9) Lucian. macrob. 17.

10) Eckhel Doctr. num. II, 368.

11) Strab. VII, 4. 6 et XI, 2. 11.

12) Lucian. l. c.

Ponti rege et M. Agrippa cum exercitu appropinquantibus ab ipsis Bosporanis caesus est anno 740. Quo facto Polemo Agrippae socius Bosporo rex praefectus Asandri et Scribonii viduam Dynamin, Pharnacis filiam et Mithradatis VI. neptin uxorem duxit, ut ipse, etsi Romanorum ope et auctoritate rex Bospori constitutus, legitimus Mithradatis vel Pharnacis heres esse videretur[13]). Cognitis vero iis quae auctores graeci de Asandri vita ac rebus gestis dixerint jam nummos ejus examinemus quorum justus ex auro atque aere signatorum superest numerus. Aereis nihil novi afferentibus aurei nummi propter epigraphen et notas arithmeticas archontatus et regni annos significantes qui diligentius describantur digni sunt. De quibus nummis primus Koehlerus[14]) critice ac diligenter disseruit, sed quem paucis tantum Asandri nummis cognitis et magno eorum notis arithmeticis inscripto numero nondum edito in vita Asandri chronologice disponenda saepe errasse jam supra dictum est. Nuper vero Baro de Koehne in libro suo musei

---

13) Dio 54. 24.

14) Koehler, Serapis vol. II, p. 71 ss. Recte Koehler judicat Asandrum ante annum 707 Bosporo potitum non esse, qua re quum ei noti essent nummi Asandri archontis notis annorum B, Γ, H et regis notis Δ — KE inscripti, eum regnasse censet ab anno 707 usque ad a. 740, quo anno Koehler Eckhel aliique omnes Asandrum mortuum esse teste Dione existimant. Quum vero nummi Asandri regis nota anni ΘK, 29, inscripti jam reperti sint, ea quae Koehler de Asandri morte dicit erronea esse manifestum est.

De nummo Asandri archontis nota arithmetica H, 8, insigni vide infra.

principis Kotchonbey cimelia describente latius de Asandri nummis disserens regnum Asandri alio modo per singulos annos digessit; sed quem modum et iis quae Dio Cassius de Asandro narrat et notis arithmeticis in nummo Dynameos Asandri uxoris omnino contrarium esse infra docebimus. Quae quum ita sint comparatis quam diligentissime nummis Asandri notis annorum inscriptis cum auctoribus graecis et monumentis ipsis quae supersunt, certam, si fieri potest, regni vel rerum gestarum Asandri chronologice disponendarum rationem constituamus.

Primum igitur typos nummorum describam:

I. *Nummi Asandri archontis.*

1. Av. Caput Asandri dextrorsum.
   Rv. Victoria dextra coronam, sinistra palmam prorae insistens sinistrorsum. ΑΡΧΟΝΤΟΣ · ΑΣΑΝΔΡΟΥ · ΒΟΣΠΟΡΟΥ · anni nota et ЄΤ vel ΤЭ · adjectis variis monogrammat. vel litt. AV. 4. Stateres.
2. Av. Caput Asandri vel Apollinis aut Victoriae dextr.
   Rv. Prora. ΑΡΧΟΝΤΟΣ · ΑΣΑΝΔΡΟΥ. Æ. 5. 6. 7.

Nummi quos descripsi ex aere signati, etsi notis arithmeticis careant, propter magnam typorum negligentiam — sunt enim omnes nummis autonomis urbium illius regionis incusi — vel in ipsa seditione vel gliscente jam bello Mithradatico magna celeritate ab Asandro signati esse videntur[15]).

[15]) Cf. Koehne Mus. Kot. II, p. 160 ss. Caput diadematum

II. *Nummi Asandri regis.*

3. Av. Caput Asandri diadematum dextr.
Rv. Victoriae typus ut No. 1. — ΒΑΣΙΛΕΩΣ· ΑΣΑΝΔΡΟΥ· anni nota, sed omissis literis ЄΤ, adjecto in nonnullis monogr. AV. 4.

Descriptis jam Asandri nummorum typis tabellam chronologicam secundum notas nummorum arithmeticas a Koehnio compositam proponamus:

I. *Asander archon.*

Anni archontatus.	Anni V. C.	Nummi aurei.
Β	705	Mionn. Suppl. IV, 471. 27.
Γ	706	Cab. Ouvaroff.
Δ	707	Mionn. ibid. No. 26.
Ζ	710	Cab. de Vienne.
Η	711	Mionn. II, 363. 23.

---

in nummis aereis Asandri obvium, etsi Apollini simile, tamen comparatis nummis aureis, qui certum Asandri caput exhibent, ipsius regis esse videtur. De nummis a Koehlero Serap. II, p. 73 s. No. 12. 17. 18. 20. 22 perperam Asandro adscriptis vide Mionnet. II, 363. 29 et suppl. IV, 474. 43 et Koehne Mus. Kot. II, p. 159. Quem sub No. 17 Koehler describit nummum: Av. Caput Jovis Ammonis. Rv. Sella curulis, ... ΔΡΟΥ et Η, quod Koehler notam anni esse perperam existimat, a Lollio — ΔΡΟΥ enim male lectum est pro *Λολ* ΛΙΟΥ — Cyrenaicae procos. signatus est. Literam Η non esse anni notam nummi similes variis literis inscripti docent quos vide apud Muellerum numism. de l'anc. Afrique I, p. 153 No. 383—390 et p. 161. Quem Koehne Comitissae de Bentinck nummum „incertum vel dubium“ appellat: Av. Caput laureatum. Rv. Tripus. ΒΑΣΙΛΕΩΣ·ΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. Æ. notum est illud Cassandri Macedonum regis numisma!

II. *Asander rex.*

Anni archontatus.	Anni V. C.	Nummi aurei.
Δ	714	Mionn. Suppl. IV, 471. 27 (perperam pro 37).
ς[16])	716	Mionn. Suppl. IV, No. 28 (perperam pro 38).
Z	717	Mionn. II, No. 25 (p. 363).
H	718	Mionn. Suppl. IV, No. 42 (p. 473).
I	720	Coll. Kotchoubey.
BI	722	Sestini class. gen. p. 61.
ΔI	724	Mionn. II, No. 26 (p. 363).
ςI	726	Mionn. II, No. 27 (p. 363).
ZI	727	Mionn. Suppl. IV, No. 39 (p. 473).
ΓK	733	Ermitage (St. Pétersbourg) Cab. de France. Mionn. II, No. 28 (p. 363).
EK	735	Mionn. Suppl. IV, No. 40 (p. 473).
ZK	737	Cab. Pérovsky.
HK	738	Brit. Mus. (coll. Thomas cat. No. 1740).
ΘK	739	Brit. Mus. Cab. Sibirsky.

Exstare igitur nummos Asandri archontis notis annorum 2—8, regis notis ann. 4—29 inscriptos tabella a Koehnio composita docet, unde sequitur Asandrum, quum rex factus esset, annos archontatus non porro numerasse, sed denuo ab anno 1 initium fecisse.

Comparatis Asandri nnmmis cum iis quae Dio Cassius aliique de Asandri rebus gestis et morte dixerunt, neque annos Asandri archontis primus a. V. C. 704, neque annus Asandri regis 29 a. V. C. 739 esse potuit.

16) Literae ς formae in nummis Asandri haec est: ⊏.

Constat enim Pharnacem regem ante annum 706, quo Caesar in Illyricum trajecit, Asiae minori, quae tum a Pompejanis tenebatur, bellum inferre non potuisse; immo vero rex post Pharsalicam pugnam paterni regni provincias in potestatem suam redigere conatus esse videtur. De quo bello Dio[17]): *Φαρνάκης ... ἐπιθυμήσας δὲ πᾶσαν τὴν πατρῴαν βασιλείαν ἀνακτήσασθαι ἐπανέστη κατ᾽ αὐτὴν τήν τε τοῦ Καίσαρος καὶ τὴν τοῦ Πομπηίου στάσιν καὶ .... τῶν Ῥωμαίων τό τε μὲν πρὸς ἀλλήλους ἀσχόλων γενομένων, αὖθις δὲ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ κατασχεθέντων, τήν τε Κολχίδα ἀκονιτὶ προσηγάγετο κ. τ. λ.* De Asandro vero in regem suum seditionem concitante alio loco ait Dio[18]): *τοῦτ᾽ οὖν — τὸν Ἄσανδρον νενεωχμωκότα — ὁ Φαρνάκης ἀκούσας ὥρμησεν ἐπ᾽ αὐτὸν μάτην· τὸν γὰρ Καίσαρα ἐν τῇ ὁδῷ εἶναι καὶ ἐς τὴν Ἀρμενίαν ἐπείγεσθαι πυθόμενος ἀνέστρεψε κἀνθαῦτα αὐτῷ περὶ Ζέλειαν συνέτυχεν.*

Unde sequitur Asandrum gliscente jam Pharnacis et Romanorum bello, non ante annum 706 vel 707 Bosporo potitum esse. Nummis vero Asandrum annos 36 vel diutius regnasse comprobantibus — annis enim 29 Asandri regis addendi sunt anni octo Asandri archontis — mortuum esse regem non ante annum 741 ne-

[17]) Dio 42. 45. Eadem fere dicit Appianus in Mithrad. 120. *Φαρνάκης ... καὶ Σινώπην εἷλε καὶ Ἀμισὸν ἐνθυμιζόμενος καὶ Καλουίνῳ στρατηγοῦντι ἐπολέμησεν ᾧ χρόνῳ Πομπήιος καὶ Καῖσαρ ἐς ἀλλήλους ᾔεσαν ἕως αὐτὸν Ἄσανδρος ἐχθρὸς ἴδιος, Ῥωμαίων οὐ σχολαζόντων, ἐξήλασε τῆς Ἀσίας.* — Voce *Ἀσίᾳ* Asiam minorem quam nos dicimus significari vix addendum esse puto.

[19]) Dio 54. 24.

cesse est, cui rei obstat Dio Cassius, quem jam in rebus gestis anni 740[19]) de Asandri morte narrare supra dictum est. Notis igitur arithmeticis nummorum cum Dione Cassio dissentientibus habes primam difficultatem. Alteram affert mirabilis annos archontatus ab annis regni separatim numerandi modus. Asandrum enim ex archonte regem factum iterum ab anno primo quasi novi imperii initium fecisse credi vix potest comparata nummorum Asandri archontis epigraphe cum titulis veterum Bospori Cimmerii regum. Inscripti enim sunt Asandri archontis nummi aurei: ΑΡΧΟΝΤΟΣ · ΑΣΑΝΔΡΟΥ · ΒΟΣΠΟΡΟΥ · quae epigraphe et in titulis aliorum Bospori regum obvia, qui semper archontes tantum, non reges Bospori, sed Sindorum et ΜΑΙΤΩΝ etc. reges appellantur. Qui tituli sunt[20]):

1. *αρχοντος Σπαρτοκου | του Ευμηλου.*
2. *αρχοντος Παιρισαδους του Λευκωνος | Βοσπορου και Θευδοσιης και βασιλευων*[21]) *Σινδων και Τορετων και Δαρδανιων.*
3. Ejusdem regis titulus cum: *Σινδων και Μαιτων παντων.*
4. Idem adjecto *Θατεων.*
5. *αρχοντος Σπαρτοκου του Ευμ[ηλου] | και βασιλευοντος.*
6. *αρχοντος Παιρισαδεος Βοσπορου και Θευδοσιης | και βασιλευοντος Σινδων Μαιτων | Θατεων Δοσχων*[22]).

---

20) Corp. inscr. gr. No. 2106. 2117—2120.

21) Perperam pro *βασιλεύοντος.*

22) Koehne mus. Kot. II, p. 23.

Iidem vero reges, qui *ἄρχοντες Βοσπόρου καὶ Θευδοσίης καὶ βασιλεύοντες Σίνδων κ. τ. λ.* appellantur, aliis titulis, in quibus singularum Bosporani regni provinciarum vel regionum mentio abest, *βασιλεύοντες* solum nominantur:

1. *ανεθηκε βασιλευοντος* | *Σπαρτοκου Ευμενου*[23]).
2. *βασιλευοντος Παιρισαδου του Σπαρτοκου*[24]).

Constat igitur eos reges, qui ante Asandri tempora Bosporo praefuerunt, Bospori archontis et regis Maitorum etc. vel regis tantum nomine promiscue usos esse neque regis nomen Asandro a Romanis impositum ab archontis Bospori nomine tam diversum fuisse, ut Asandrum recens regem factum ad novam illam iterum ab anno primo numerandi rationem instituendam commotum fuisse putare possimus.

Tertiam affert difficultatem nummus aureus ab Asandri uxore Dynami, Pharnacis regis filia cusus:

Av. Caput Dynameos diadematum dextrorsum.
Rv. Astra solis et lunae.

ΒΑΣΙΛΙΣΗς ΔΥΝΑΜΕΩΣ. — ΑΠΣ.

AV. 4. Stater[25]).

Qui nummus noto Achaemenidarum typo, astris so-

---

[23]) Perperam pro *Εὐμήλου*.

[24]) Corp. inscr. gr. No. 2105 et 2107. Quo tempore Spartocus et Paerisades reges, qui Achaemenidas antecesserunt, Bosporum tenuerint, non omnino certum. Duo fuerunt Paerisades, quorum alter Spartoci filius. Vide quae Koehne in libro suo mus. Kot. inscripto de regibus illis et de nummis eorum dixerit.

[25]) Unicum nummi exemplar vide depictum ap. Koehnium mus. Kot. II, 156.

lis et lunae insignis[26]) cusus est anno ΑΠΣ, i. e. 281 aerae Ponticae vel ut rectius dicam, Achaemenidarum, quae ducitur ab autumno V. C. 457[27]). Annus igitur 281 epochae Achaemenidarum ducitur ab autumno V. C. 737. Qui Eckhelium aliosque secuti Asandrum anno 740 mortuum esse statuunt, Dynamin vivo marito alia annos in nummis numerandi ratione uso ipsam nummos notis chronologicis aerae Achaemenidarum insignes et de Asandro rege omnino tacentes, teste nummo quem descripsi, cudendos curasse contendunt.

Quae res quum cogitari omnino non possit nummus Dynameos anno 281 aerae Achaemenidarum, i. e. V. C. 737/38 cusus Asandrum jam hoc ipso anno non in vivis fuisse docere videtur. Perspecta vero nummorum Asandri serie a Koehnio composita iisque quae a Dione de Asandro jam anno V. C. 740 mortuo dicta esse Eckhel aliique existimant, nummus Dynameos, quem spurium esse nemo, qui in re numaria paullulum versatus est, contendet, et monumentis ipsis et Cassio Dioni obstat. Qua re omissis primum nummis ea quae Dio[28]) in rebus gestis anni 740 de Asandri morte dicit diligentius examinemus: *Σκριβώνιος γάρ τις τοῦ τε Μιθριδάτου ἔγγονος εἶναι παρὰ τοῦ Αὐγούστου τὴν βασι-*

[26]) Eodem typo insignis est nummus Eubioto regi ex Spartocidarum gente adscriptus quem vide ap. Koehnium mus. Kot. II, 45. De typi illius sensu in nummis Jubae II Mauretaniae regis ejusque uxoris Cleopatrae Selenes vide quae Eckhel dixit in D. N. IV, 159.

[27]) Eckhel D. N. II, 381 s.

[28]) Dio 54. 24.

λείαν, ἐπειδήπερ ὁ Ἄσανδρος ἐτεθνήκει, εἰληφέναι λέγων, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ Δύναμίν τε καλουμένην καὶ τὴν ἀρχὴν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐπιτειραμμένην — ἡ τοῦ Φαρνάκου θυγάτηρ καὶ τοῦ Μιθριδάτου ἔγγονος ἀληθῶς ἦν — ἠγάγετο καὶ τὸν Βόσπορον διὰ χειρὸς ἐποίει· πυθόμενος οὖν ταῦτα ὁ Ἀγρίππας τὸν Πολέμωνα τὸν τοῦ Πόντου ... βασιλεύοντα ἔπεμψε· καὶ ὃς Σκριβώνιον μὲν οὐκέτι περιόντα κατέλαβε· μαθόντες γὰρ οἱ Βοστιόριοι .... τὴν ἐπιβουλὴν αὐτοῦ προαπέκτειναν αὐτόν .... οὕτω δὲ τάτε ὅπλα κατέθεντο καὶ τῷ Πολέμωνι παρεδόθησαν. Quae Dionis verba Eckhel, Visconti aliique omnes[29]) ita intellexerunt, ut eodem anno 740 Asandrum et Scribonium interiisse et Polemonem Bospori regem factum esse crediderint. Dio autem, Polemoni anno 740 Bosporum traditum esse narrans, Asandrum hoc ipso anno mortuum esse omnino non dicit. Immo vero verbis: *ἐπειδήπερ ὁ Ἄσανδρος ἐτεθνήκει ... τὴν Δύναμιν ... τὴν ἀρχὴν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐπιτετραμμένην* Dynamin jam aliquod tempus, etsi paucos tantum menses vel dies mortuo marito Bosporo praefuisse, antequam Scribonio nupserit, comprobari videtur. Nummus igitur Dynameos, quem post Asandri mortem cusum esse necesse est, quum Dioni Cassio nullo modo sit contrarius, docet Asandro jam anno 281 aerae Achaemenidarum, i. e. ante autumnum V. C. 738 mortuo Dynamin solam Bospori reginam fuisse nummosque

---

[29]) Eckhel D. N. II, 307. Visconti iconogr. gr. II, 191. Boeckh Corp. insc. gr. II, 94. Koehler Serap. II, 80. Koehne mém. de St. Pétersb. VI, 240 et mus. Kot. II, 163 etc.

majorum suorum, Achaemenidarum, epocha insignes cudendos curasse et eodem anno 737/38 vel sequentibus annis Scribonio spurio Mithradatis nepoti nupsisse. — At iis quae ex Dione et ex nummo Dynameos comprobavimus, nummorum Asandri notae chronologicae obstant, quos nummos, si primum Asandri archontis annum fuisse 706 statuas, usque ad annum 741 cusos esse tabella a Koehnio conscripta docet. Sed priusquam nummos ipsos Asandri accuratius examinemus, paucis verbis quae jam exposui complectar:

I. Asandrum, qui miro quodam modo — vide titulos regum Spartori et Paerisadis I et II supra descriptos — archontatus et regni sui annos separatim in nummis numerabat, annos 36 vel diutius Bosporo praefuisse nummi docent. Cujus regni initium quum ante annum 706 fuisse non potuerit, Asandrum non ante annum 741 mortuum esse sequitur. At Dio Cassius jam in rebus gestis anni 740 de Asandri morte nonnulla scribit.

II. Nummi aurei ab Asandri uxore regisque Pharnacis filia Dynami anno 281 aerae Achaemenidarum, qui annus ducitur ab autumno V. C. 737, cusi typus et epocha Dynamin hoc ipso anno 737/38 solam fuisse Bospori reginam Asandro jam mortuo docet, quod ipse Dio l. s. s. comprobare videtur.

Quo sequitur notas chronologicas Asandri nummis inscriptas ab iis quae Dio Cassius scribit uno anno, a nota chronologica nummi Dynameos duobus annis differre. Quae quum ita sint nummos Asandri notis arithmeticis inscriptos spe tollendae difficultatis diligen-

tius examinemus. Antiquissimus Asandri archontis nummus hunc habet typum partis posticae:

Rv. Victoria prorae insistens etc. In sinistra nummi parte, supra coronam literae ЄΤ. In dextra parte supra lauream anni nota B. ΑΡΧΟΝΤΟΣ · ΑΣΑΝΔΡΟΥ · ΒΟΣΠΟΡΟΥ et literae Φ et Δ, ut videtur. AV. 4[30]).

Qui nummus musei Parisiensis eandem singulas anni notas disponendi rationem sequitur quam alius musei Petropolitani (Koehne: „cab. Ouvaroff.") cujus iconismum arte galvanoplastica perfectum in manibus habeo, anno Asandri tertio signatus:

Rv. ΑΡΧΟΝΤΟΣ · ΑΣΑΝΔΡΟΥ · ΒΟΣΠΟΡΟΥ · ΤЭ — Γ — et litera Δ vel Α. AV. 4[31]).

In alio ex eadem matrice percusso musei Caes. Vindobonensis nummo literae Γ nota magis clarescit. Qui primo loco ex museo Parisiensi descriptus est nummus cum Vindobonensi et Petropolitano comparatus eam literam, quae lauri ramo imposita est, annum significare demonstrat, nam eodem loco quo nummi ex museis Petrop. et Caes. Vindob. descripti literam Δ vel Α habent, Parisiensi nummo litera Φ est inscripta quae anni nota esse non potest. Quae literae Δ vel Α et Φ

---

[30]) Mionnet Suppl. IV, 470. 27. Koehler Serap. II, 71. 2. Wiczay mus. Hedervar. XIX, 425. Sestini mus. Hedervar. II, 20. 1.

[31]) Mionnet Suppl. IV, 470. 26. Negligenter depictus est idem nummus ex museo Vindob. apud Koehlerum, Serap. II, tab. VIII. 2. ubi pro ΤЭ perperam positum est ΤΞ. Anni nota Γ in nummo ipso multo clarior est.

majore quoque forma se non ad reliquam nummi epigraphen pertinere indicant. Frequens est literae E in annorum notis forma rotunda vel lunaris Є neque literae TЭ in nummis anni tertii retrograde pro ЄT scriptae dubium movere possunt conspecto alio Asandri regis nummo qui anni IZ notam retrograde scriptam: ΣI exhibet[32]). Sequitur in serie Asandri archontis nummorum a Koehnio composita nummus anni Δ i. e. quarti archontatus anni. Quem nummum a Mionneto Suppl. IV, No. 26 descriptum esse Koehne ait. At nummus Mionneti idem est quem supra ex museo Caes. Vindob. attuli neglecta a Koehnio epigraphe TЭ — Γ — quamquam nummum eadem matrice percussum ex museo Petrop. (Ouvaroff) tabellae suae sub anno tertio Asandri archontis imposuit — et litera solitaria Δ vel A, quam annum significare non posse supra exposui, perperam anni nota credita. Quartum tabellae Koehnianae nummum anno septimo, Z signatum in museo Vindobonensi („cab. de Vienne“) asservari auctor ait. Sed qui nummus neque Vindobonae neque alio loco exstat neque ab ullo auctore, ne a Vaillantio quidem, descriptus est eumque, quum a Koehnio ipso in tabella tantum, sed non in descriptione nummorum ipsa laudetur[33]), negligentia et errore in tabellam irrepsisse equidem existimo.

Jam sequitur postremus Asandri archontis nummus

---

[32]) In nummo Asandri regis aureo musei regii Berolinensis.

[33]) Koehne mus. Kot. II, 160 ubi nummi Asandri archontis annis B, I (perperam pro Γ) Δ, H descripti sunt omisso anno Z.

nota anni octavi, H insignis quem a Mionneto II, 363, No. 23 descriptum esse Koehne dicit. Sed neque Mionnet neque Eckhel neque alius quisquam nummum ipsum viderunt cujus solus auctor est Vaillant[34]) qui „ex picturis Rudolphi imperatoris“ nummi nostri foedissimam ac nummo ipso multo majorem picturam in opus suum transtulit. Taedet picturae illius pravitatem latius exponere; hoc tantum dicam, Victoriam non prorae, ut ait Vaillant, sed humi particulae insistere videri literaeque H quae anni creditur nota, globulorum circulo (le grènetis) tegi partem, etsi in nummis Asandri globulorum circulus nunquam observetur. Literae ЄT, quae reliquis Asandri archontis nummis inscriptae sunt, in pictura Vaillantii vel Rudolphi imperatoris omnino absunt. Cui igitur nummo a nemine viso fidem habere non possumus praesertim quum annus H nummo inscriptus solus, ut infra docetur, iis quae Dio Cassius de Asandri morte dicit, sit contrarius. Itaque annum HI, qui nummo malae fidei a Rudolpho II imperatore depicto secundum foedum Vaillantii iconismum est inscriptus, ex annorum nummis comprobata serie exstinguendum esse nemo negabit[35]).

[34]) Vaillant Arsacid. et Achaem. imp. II, 212.

[35]) Hoc loco jam de alio Asandri archontis nummo falsso pauca dicam. Depictus est nummus argenteus Asandri cujus posticae inscriptum est X/H apud Caryum (hist. de rois de Thrace etc. 1752) qui quum sit et argenteus et literis sensu carentibus inscriptus, falsus, i. e. aut fusus et male lectus, aut omnino fraude recenti spurius est judicandus. Vide Mionnet II, 363. 24. Eckhel D. N. II, 368. Koehler Serapis II, 80. De nummis Asandro perperam adscriptis jam supra in annotatione 15 egimus.

Sublatis jam duobus nummis notis annorum Z et et H inscriptis, quorum alterum omnino non exsistere, alterum foedo tantum ac dubiae fidei iconismo ante annos circiter CCL a Rudolpho imperatore facto memoriae proditum esse comprobavi[36]), restant nummi Asandri archontis cum annorum notis:

B (in mus. Parisiensi) et

Γ (in mus. Vindob. et Petrop.).

Examinatis Asandri archontis nummis jam in eos qui Asandri regis nomine insignes justo numero supersunt inquiramus. Quorum notae chronologicae sinistrae posticae parti, prope Victoriam[37]); inscriptae sunt absente epigraphe ЄT et adstante in nonnullis monogrammate quod in nummis Chersonesi urbis saepe forma signi incusi (contremarque) conspicitur[38]). Quorum nummorum tabellae chronologicae quam Koehne composuit

---

[36]) Koehler etsi nummum illum anni octavi nota inscriptum negligenter a Vaillantio depictum esse censeat (Serap. II, 80) tamen in componenda tabella chronologica ejus rationem habet. Errat vir doctissimus existimans anni notam parti dextrae nummi a pictore perperam inscriptam esse. Hac enim re sola pictorem nummi Rudolphiani vel Vaillantiani non errasse, quod anni notam supra Victoriae lauream dextrae nummi parti inscripsit, reliqui Asandri archontis nummi demonstrant.

[37]) In duobus Asandri regis nummis musei Hedervariani tab. XIX, 426 et 427 et p. 186 eodem quo anni nota inscribi solet loco epigraphe NIKA conspicitur, quam singularem epigraphen nihil aliud esse nisi male ac negligenter lectam anni vicesimi quinti notam: KE vel similem, nummus similis musei Parisiensis docet.

[38]) Koehne mus. Kot. II, 165.

fides habenda est excepto nummo aereo anni H, qui, quum caput regis in eo non sit diadematum sed laureatum, non, ut Mionnet putat[39]), in matrice aurei genuini fusus, sed per fraudem recentem adulterinus habendus est[40]). Sublatis igitur nummis falsis et male lectis hanc Asandri et archontis et regis nummorum per singulos annos digestam composui seriem:

I. *Asander archon.*

Annorum nota.	Nummi.
B	Mus. Paris.
Γ	Mus. Petrop. (Ouvaroff) et mus. Caes. Vindob.

II. *Asander rex.*

Δ	Mionn. Suppl. IV, 473. 37. Koehler Ser. II, 73. 14. Mus. Caes. Vindob.
Ⲉ (ϛ)	Mionn. l. c. No. 38. Koehler l. c. No. 15. Mus. reg. Monac.
Z	Mionn. II, 363. 25. Pellerin Suppl. III, 3. Koehler l. c. No. 16. Mus. Petropol.
I	Mus. Petropol. (Kotchoubey).
BI	Sestini class. gen. p. 61.

39) Mionnet Suppl. IV, 474. 42.

40) Apud Vaillantium Arsacid. et Achaemen. imp. II, 214 nummus Asandri regis depictus est cui pro anni nota literae  — dicit vero Vaillant nummo non literam Π sed Ξ inscriptam esse — quas literas quum omni sensu careant male lectas esse constat. Qui nummus ex Vaillantii iconismo a Gesnero (num. reg. Arsacid. tab. III, 4) pro incredibili hominis in pingendis nummis negligentia ita delineatus est, ut literis vel notis  obliqua literae A forma: > supra adficta sit.

Annorum nota.	Nummi.
ΔΙ	Mionn. II, 363. 26. Pellerin l. c. Mus. Paris.
ΕΙ	Mionn. II, 363. 27. Pellerin l. c. Mus. Paris.
ΙΖ	Mionn. Suppl. IV, 473. 39. Mus. Berolin.
ΙΗ	Nummi iconismus sulfureus ab Antonio Odelli Roman. factus.
ΓΚ	(Mionn. II, 363. 28. Mus. Paris.) Mus. Petropol.[41]).
ΚΕ	Mionn. IV, 473. 40. Nummus aureus et plumbeus fusus mus. Paris.
ΖΚ	Mus. Perowsky Petrop.
ΗΚ	Mus. Brit. (Thomas).
ΘΚ	Mus. Brit.; mus. Sibirsky Petrop. Meynaerts revue belge III, 1. 1.

Quae nummorum certae fidei series Asandri archontis annis 2 et 3, regis annis 4—29 signatorum haec docet: Asandrum miram illam rationem annos archontatus et regni separatim numerandi secutum esse et annos 36 vel diutius regnasse solis nummis Asandri archontis qui annorum notis Ζ et Η i. e. 7 et 8 inscripti sunt, comprobatur quorum alter omnino non exstat, alter a Vaillantio ex Rudolphi II imperatoris picturis restitutus et a nemine visus omni fide caret.

Quibus malae fidei nummis et Dioni Cassio et nummo Dynameos reginae anno 737/38 signato contrariis e serie certae fidei nummorum sublatis, sequitur:

Asandrum, cujus archontis nummi annis 2 et 3, re-

[41]) Nummum plumbeum mus. Par. ap. Mionnet. II, 363. 28. ΓΚ inscriptum recte legit Koehler méd. gr. 332: ΚΕ.

gis vero ab anno 4 usque ad a. 29 sint signati, quarto imperii sui anno regem factum esse numosque cudendos curasse, novo quidem regis nomine insignes, sed solitis annorum notis inscriptis, i. e. non ab anno primo iterum initio facto, sed annis archontatus continuatis.

Quum Lucianum qui Asandrum ab Augusto regem factum esse narrat — quod ante annum 723 fieri non potuit — errasse jam Eckhel[42]) ex notis chronologicis nummorum comprobaverit, restat, ut tempus quo Asandro regis diadema impositum sit, accuratius definiamus. Constat ex Dione, Caesarem post Pharnacis mortem Mithradatem Pergamenum Bospori regem fecisse eique bellum contra Asandrum mandasse; sed quem a Caesare constitutum regem ab Asandro proelio victum et interemptum esse Strabo (XIII, 4. 3) affirmat. Asandrum igitur Mithradate Caesaris amico ac socio necato regem ex archonte ab ipso Caesare factum esse vix credendum est. Videtur igitur Asander trium virorum aetate, a M. Antonio, qui Bruto et Cassio victis exeunte anno 712 vel initio anni 713 in Asiam se contulit et res Orientis composuit, ipso proelii Philippensis anno 712 vel ineunte a. 713 ex archonte rex factus esse[43]). Comprobatur vero nummis, Asandrum jam quatuor annos ante Bosporo potitum regem appellatum esse. Si igitur annus Asandri quartus idem fuerit atque annus

---

42) Eckhel D. N. II, 368.

43) Erunt qui Asandrum a M. Bruto annis 711 vel 712 regem factum esse maluerint. At neque Asandrum ab Antonio veniam impetrasse neque Lucianum adeo errasse censeo, ut M. Bruti cum Augusti factis permiscuerit.

V. C. 712/13, primum Asandri annum fuisse 708/9[44]) manifestum est, quem annum vel sequentem 709/10 primum, ut ita dicam, legitimum Asandri archontis fuisse etiam typis nummorum confirmatur: exhibent enim omnes Asandri nummi victoriae cujusdam navalis typum, dea ipsa cum lauri ramo et corona prorae insistente — aerei quoque nummi proram offerunt — quae navalis Victoria ad victum Pharnacem spectare non potest, nam teste Appiano[45]) Pharnacem non navali sed terrestri proelio devictum esse constat neque Asandrum, qui ducta Dynami Pharnacis filia legitimus Pharnacis heres esse voluit, nummis devictum legitimum Bospori regem, uxoris suae patrem celebrasse credendum est. Victoriae igitur navalis typus ad victum Mithradatem Pergamenum cui a Caesare Bosporanum regnum anno V. C. 707 traditum[46]) bellumque in Asandrum mandatum esse ex Dione constat, mihi quidem spectare videtur. Mithradates pecunia ad bellum necessaria e templis coacta[47]) eodem anno 707 vel sequenti 708 ab Asandro victus esse videtur, quo victo primum legitimum archontatus annum ab Asandro nummis inscriptum esse equidem existimo. Comprobavi enim supra

[44]) Si primus annus Asandri ducitur ab exeunte a. 708 — 709, fuit in autumno — mense nov. vel initio dec. — anni 712 quartus adhuc Asandri annus.

[45]) Appian. Mithr. 120.

[46]) Quum Caesarem jam mense septemb. anni 707 in Italiam rediisse certum sit, Mithradatem, Pharnace a. d. IV non. sextil. ad Zelam victo, ante mensem sept. a. 707 regem factum esse manifestum est. Fischer röm. Zeittaf. 284.

[47]) Strab. XI, 2. 17. Drumann Gesch. Rom's III, 559.

quartum Asandri annum, quo eum regem factum esse nummi docent, fuisse videri V. C. 712/13; quo sequitur primum Asandri annum ducendum esse ab exeunte anno 708 vel ab initio a. 709. Videtur igitur Asander vel eodem anno quo Mithradates Pergamenus victus est vel non multo post ineunte anno 709 a Caesare venia impetrata legitimus Bospori Cimmerii archon factus esse. Si igitur primum Asandri 29, qui postremus annus adhuc in nummis repertus est, esse V. C. 736/37 necesse est. Incertum est, an a. 736/37 fuerit Asandri postremus, sed regem ante autumnum anni 738 mortuum esse comprobatur nummo, quem supra descripsi, reginae Dynameos signatus a. 281 aerae Achaemenidarum, qui annus ducitur ab autumno a. 737[48]). — Sublatis igitur falsis, nummos veros Asandri et genuinos iis quae Dio et Appianus de Asandri rebus gestis ac morte dixerunt, non solum non esse contrarios, sed praeclare ab auctoribus graecis auctoresque nummo Dynameos illustrari, quo nummo ea quae Dio Cassius de Asandri morte dicit accuratius definiuntur, videmus.

Asandrum quum Bosporanorum animos in Scribonium, qui rege mortuo Dynamin uxorem duxit, inclinare videret, per inediam a vita discessisse a Luciano[49]) traditum esse jam supra memoravi. — Superest titulus prope Phanagoriam repertus statuae Augusti basi inscriptus qui praeter nummum aureum a Dynami signatum unicum est monumentum Dynameos nomine insigne[50]):

48) Eckhel D. N. II, 381.

49) Lucian. Macrob. 17.

50) Corp. inscr. gr. No. 2122.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ · ΚΑΙΣΑΡΑ · Θ · ΟΥ(θεοῦ)ΥΙΟν
ΣΕΒΑΣΤον τοΝ · ΠΑΣΗΣ · ΤΗΣ · ΓΗΣ · ΚΑΙ ·
ΘΑΛΑΣΣΗΣ · ΑρχΟΝΤΑ · · ·
ΤΟΝ · ΕΑΥΤΗΣ · ΣΩΤΗΡα καὶ εὐεργΕΤΗν
ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ · ΔΥΝαμις

Quem titulum anno 727 posteriorem[51]) — Augustus enim in eo dicitur *Σεβαστός* — una cum Augusti statua, Dynamis vel Asandro mortuo sola Bospori regina vel sublato jam Scribonio Polemonis uxor faciendum curasse videtur. Restituta enim mortuo Asandro per Scribonium falsum Mithradatis nepotem *παρὰ τοῦ Αὐγούστου τὴν βασιλείαν εἰληφέναι λέγοντα* (Dio) Achaemenidarum in Bosporo familia, dignus videbatur Augustus, aut re vera Scribonii contra Asandrum socius aut a falso Mithradatis nepote socius tantum fictus, qui *σωτήρ* et *εὐεργέτης* a Dynami Pharnacis filia nominaretur.

Magis vero advidet auctoris corp. inscr. gr. opinio[52]), qui titulum illum anno V. C. 740 sublato falso Mithradatis nepote[53]) et pace Bosporani regni a Palemone et Agrippa restituta a Dynami jam Polemonis regis uxore: *δηλόνοτι τοῦ Αὐγούστου ταῦτα δικαιώσαντος* (Dio l. s. s.) factum esse existimat. Quod etsi omnino certum non sit tamen epithetis *σωτήρ* et *εὐεργέτης* comprobari vi-

---

[51]) Koehne (mus. Kot. II, 158) titulum nostrum, quem inscriptionem „sans date“ neglecto *Σεβαστοῦ* nomine appellat, brevi post pugnam Actiacam factum esse putat!

[52]) Corp. inscr. gr. II, 94.

[53]) Scribonii nummi adhuc reperti non sunt, quem non verum Scribonii nomen sed Mithradatis prae se tulisse et nummis, si qui sunt, inscripsisse equidem existimo.

detur, effecit enim Augustus vel jussu Augusti M. Agrippa ut et Dynamis ipsa et Dynameos regnum ab impostore Scribonio liberaretur. — Descriptis et examinatis jam nummis indicem rerum ab Asandro ac Dynami gestarum secundum ordinem chronologicum digestum componam:

I. *Asander.*

707[54]). Seditionem movit Asander in regem Pharnacem. Proelium ad Zelam a. d. IV. non. Sextil. Pharnaces in Bosporum profugus ab Asandro victus et interfectus est. Asander Pharnacis filiam Dynamin uxorem duxit (?) Caesar Mithradatem Pergamenum regem Bospori factum in Asandrum misit mense sextil vel sept. anni 707, quo mense Caesar jam in Italia fuit.

707/8. Mithradates Pergamenus bellum in Asandrum movit. Qui ab Asandro proelio navali victus et interfectus est. Exeunte anno

[54]) Placet hoc loco ea addere, quae Theodorus Mommsen de primo Asandri anno benevolenter mecum communicavit:

„Asandrum, qui vivo Pharnace ab eo descriverit, non statim archontis nomen suscepisse, sed expectasse non solum donec Pharnaces interficeretur, sed dum superesset etiam Mithradates Pergamenus contra Asandrum a Caesare missus, parum credibile est. Nec quidquam impedit, quominus Asandrum regnasse credamus primum archontis, deinde regis nomine ab a. 707 ad a. 737, id est supra triginta; deficiunt scilicet nummi inscripti numeris XXX et XXXI. Quod si ita est, regis nomen sumpsit eo anno, quo Caesar interfectus est, probabiliter omnino."

Conjecturam illam licet praeclaram tamen omnino esse rectam affirmari non potest, antequam nummus anni XXXI repertus est.

708 vel ineunte } primus Asandri Bospori archontis le-
709. } gitimus annus incipit.

712. Proelium Philippense, M. Antonius in Asiam transgressus Asandrum hoc ipso anno vel ineunte a. } regem Bospori facit.
713.

736/37. Hoc anno vel sequentibus, sed ante autumnum anni
738. Scribonio falso Mithradatis Magni nepote regno Bosporano potito Asander annos 93 natus per inediam a vita discedit. Quo mortuo Bosporo praeest regina

II. *Dynamis*

737/38 anno aerae Achaemenidarum 281, qui ducitur ab autumno anni 737. Dynamin ducit uxorem

III. *Scribonius.*

qui Mithradatis Magni nepotem se esse ferebat.

740. M. Agrippa et Polemone Ponti rege cum exercitu appropinquantibus Bosporani detecta fraude Scrinium necant. Eodem anno

IV. *Polemo I.*

Ponti rex ab Agrippa jussu Augusti Bospori Cimmerii rex factus Dynamin legitimam Bospori reginam, viduam Asandri et Scribonii uxorem ducit.

II. POLEMO I.

Ponti et Bospori Cimmerii rex. 718—761/62 (?).

Polemo Asandro mortuo Bosporanorum rex jam antea a Romanis Cappadociae partis, quae postea Pontus Polemoniacus dicebatur, rex factus erat. Successit Polemo Dario Pharnacis regis filio, quem a M. Antonio Ponti regem constitutum esse unus Appianus[55]) narrat. Quo tempore hoc factum et quo anno Darius mortuus sit, fuerintne regni Darii et Polemonis iidem fines, tacentibus auctoribus graecis ac latinis incertum est, hoc tantum ex Dione[56]) constat, Polemonem jam a. V. C. 718. fuisse Ponti regem.

Natum esse Polemonem Laodiceae Phrygiae patre Zenone, M. Antonii amico, constat. Dicit Strabo[57]) de Laodicea Phrygiae: *μεγάλην ἐποίησαν αὐτὴν . . . Ζήνων δὲ ὁ ῥήτωρ ὕστερον καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ Πολέμων, ὃς καὶ βασιλείας ἠξιώθη διὰ τὰς ἀνδραγαθίας ὑπ᾽ Ἀντωνίου μὲν πρότερον, ὑπὸ Καίσαρος δὲ τοῦ Σεβαστοῦ μετὰ ταῦτα.* Quibus verbis etsi non dicatur fuisse *τὴν βασιλείαν* Pontum et Bosporum Cimmerium, tamen Polemonem Zenonis Laodicensis filium ac Polemonem Ponti regem eundem esse comprobatur ex Tacito, qui Polemoni Ponti regi fuisse filium Zenonem narrat[58]), quo sequitur, filium Polemonis regis more Graecorum solito

---

[55]) Appian. b. c. V, 75.

[56]) Dio 49. 25. Polemonem hoc ipso anno 718 regem factum esse videri infra docebimus.

[57]) Strab. XII, 8. 16.

[58]) Tacit. ann. II, 56.

nomine avi, Zenonis Laodicensis, usum esse. Vide quae Eckhel[59]) aliique de hac re disputaverint.

Cymaeus quidam titulus[60]), quem ante annum 752 factum non esse patris patriae nomen Augusto impositum demonstrat, dicit de Polemone quodam Zenonis filio Laodicensi, quem eundem esse ac Ponti regem nonnulli existimant:

επι ιερεως τας Ρωμας και αυτοκρατορος Καισαρος | Θεω Σεβαστω[61]) Θεω υιω αρχιερεως μεγιστω και | πατρος τας πατριδος Πολεμωνος τω Ζηνωνος Λα|οδικεος.

Quo titulo mihi quidem hoc tantum comprobari videtur, anno 752 vel sequentibus annis fuisse Polemonem quendam Zenonis cujusdam filium Laodicensem Romae et Augusti sacerdotem Cymae Aeolidis, sed quum regis nomen absit[62]), Polemonem illum Cymaeum eundem fuisse ac Polemonem Ponti regem non constat, etsi aiiis quibusdam monumentis, de quibus infra agemus, comprobari videatur, regem Polemonem a. V. C. 752 adhuc fuisse in vivis. — Superest etiam nummus Augusti temporibus a Polemone quodam, qui „Philopatris“ dicitur, Laodiceae signatus[63]). Quo honorifico cognomine

59) Eckhel num. vet. anecd. 255 ss.

60) Corp. inscr. gr. No. 3524.

61) De nomine *θεοῦ* Augusto jam vivo imposito. Vide Corp. inscr. gr. II, p. 851.

62) Regis nomen „reverentia causa“ omissum existimat Eckhel D. N. II, 370.

63) Pellerin mélang. II, p. 13. Eckhel D. N. III, 161. Placet hoc loco alium nummum Laodiceae a Zenone quodam Polemonis f. signatum proponere, qui docere videtur, non solum in titulos

quum eadem fere dicantur, ac verbis Strabonis: *μεγάλην ἐποίησαν αὐτὴν ... Πολέμων* etc., regem Ponti ac Polemonem „Philopatrin" eundem esse nonnulli — et recte quidem, ut videtur, existimaverunt. At omnino certa res non est.

Etiamsi igitur quae descripsi monumenta aliis Polemonibus sint attribuenda, hoc certe constat ex Strabone et Tacito, fuisse Ponti regem Polemonem Zenonis Laodicensis filium. Quae quum ita sint, mirum sane videtur, quod Strabo ipse alio loco[64]), a nemine adhuc vituperato vel correcto, Polemonem regem non Zenonis rhetoris, sed Pharnacis regis filium fuisse narrat: *ἐνταῦθα* — in oppido Phazemone prope Amasiam Ponti — *δὲ ἑάλω καὶ διεφθάρη ὑπὸ τῶν Φαρνάκου βασιλέως παίδων Ἀρσάκης δυναστεύων καὶ νεωτερίζων ἐπιτρέψαντος οὐδενὸς τῶν ἡγεμόνων· ἑάλω δὲ οὐ βίᾳ τοῦ ἐρύματος ληφθέντος ὑπὸ Πολέμωνος καὶ Λυκομήδους, βασιλέων ἀμφοῖν, ἀλλὰ λιμῷ.* — Polemonem igitur et Lycomedem reges Pharnacis regis filios fuisse Strabo

---

sed etiam in nummos male lectos corrigendos animum esse attendendum. Vide nummi epigraphen apud Eckhelium D. N. II, 162 ex Vaillantio descriptam:

ΕΤ · ΙΓ · ΖΗΝΩΝΟΣ · ΠΟΛΙ · ΤΟ · Δ ·

quam epigraphen:

ΕΠ · ΙΕ · ΖΗΝΩΝΟΣ · ΠΟΛ · Υ · ΤΟ · Δ ·,

i. e. *ἐπὶ ἱερέως Ζ. Πολέμωνος υἱοῦ τὸ τέταρτον* legendam esse nummus similis musei regii Berolinensis docet qui inscriptus est:

ΕΠΙ · ΙΕ · ΖΗΝΩΝΟΣ · Π · ΥΙ · Τ · Δ ·

Nummos similes vide infra descriptos.

64) Strab. XII, 3. 38.

dicit[65]). Quem Polemonem a Strabone laudatum Ponti regem, non Polemonem Olbae Ciliciae dynastam[66]) fuisse — quem Visconti aliique eundem esse ac Ponti regem existimant — eo demonstratur, quod Phazemon oppidum non in Cilicia vel vicina provincia, sed in ipso Polemonis Pontici regno, prope Amasiam situm est. At omisso primum Polemone ea examinemus, quae de socio ejus, Lycomede, ab auctoribus dicta sint. Ait Hirtius in bello Al. 66: „(Caesar) biduum Mazacae commoratus venit Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos ejus deae majestate, imperio, po-

---

[65]) Mirum videri potest, a Kramero in indice edit. Strab. (Berol. 1852) non solum Polemonem et Lycomedem, sed etiam Arsacem filium Pharnacis regis nominari. Quem sequitur Koehne in tabella Achaemenidarum genealogica conscribenda. Cujus erroris causa haec est: in indice translationis quoque germanicae operis Strabonis a Grosskurdo conscripta (a. 1834) Arsaces filius Pharnacis nominatur. Grosskurd verba Strabonis: *ἐνταῦθα ... ἑάλω ... ὑπὸ τῶν Φ. τοῦ βασιλέως παίδων Ἀρσάκης* interpretatur: „hier wurde gefangen ... von den Söhnen des Königs Ph. Arsaces“, quod nostra lingua duplicem habet sensum: necatus est Arsaces a filiis Ph., et: necatus est Arsaces unus ex filius Ph. Unde sequitur Grosskurdum in indice suo componendo non Strabonem ipsum sed translationem suam secutum esse. Quum vero verba Strabonis ipsius duplicem sensum non habeant, Kramerum illam rem ex Grosskurdi indice sumpsisse manifestum est. Tamen, ut infra docebo, placuisse videtur fato, Arsacem revera Pharnacis fuisse filium.

[66]) De cujus nummis quae conscripsi, alio loco, si fieri potest publici juris faciam eosque a Viscontio (iconogr. gr. III, p. 4 ff.) aliisque male explicatos esse docebo.

tentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur. Id homini nobilissimo Lycomedi Bithynio adjudicavit, qui regio Cappadocum genere ortus propter adversam fortunam majorum suorum mutationemque generis jure minime dubio, vetustate tamen intermisso, sacerdotum id repetebat." — Hirtium eo errasse, quod Lycomedem Comanorum Cappadociae, non Comanorum Ponti sacerdotem fuisse dicit, jam Drumann[67]) demonstravit. Nam Caesar, si Mazaca egressus Comana Cappadociae „venisset", non, ut ait Hirtius (b. Al. 66) „magnis itineribus" per Cappadociam, sed tanto circuita profectus esset, ut Pharnaci interea novas copias parare vel in Bosporum suum redire liceret. Adde, quod Strabo et Appianus[68]) Lycomedem sacerdotem Comanorum Ponti, non Comanorum Cappadociae fuisse tradunt. Quae quum ita sint, Hirtii, qui Cappadociam perperam pro Ponto posuit, verba: „regio Cappadocum genere ortus", eodem modo erronea esse putare possumus, et Straboni non contraria. „Regio Cappadocum genere ortus" intelligendum enim est „regio Pontico genere ortus", vel, ut Strabo, „*βασιλέως Φαρνάκου παῖς.*" At obstant Straboni verba Hirtii; qui propter adversam fortunam etc. — repetebat: Lycomedes enim a Caesare anno 707 V. C.

---

67) Drumann Gesch. Rom's III, 554 ann. 81 et 529 ann. 13. Perperam Drumann et codd. Mithradat. Appian. et editt. nonnullae belli Al. scribunt „Nicomedes" pro Lycomedes. Satis constat regem illum nomine Lycomede usum esse ex Strabone (XII, 3. 35 et 38) et Dione Cassio (51. 2) et ex nummis Orodaltidos Lycomedis nostri filiae, de quibus infra agam in annot. 70.

68) Strab. XII, 3. 35. App. Mithrad. 121.

Pharnace rege vivo sacerdos Comanorum factus, neque: majores suos „aversa fortuna“ [69]) usos esse neque „jure minime dubio“ se sacerdotium petere — Pharnaces enim hostis Caesaris et populi Romani fuit — neque „vetustate tamen intermisso“ Pharnace patre vivo dicere potuit. Unde sequitur Lycomedem cognatum forte, sed filium Pharnacis non fuisse[70]).

Tum vero constat, Polemonem regem Ponti non Pharnacis, sed Zenonis filium fuisse, quod a Strabone ipso alio loco (XII, 8. 16.) affirmari supra dictum est. Errasse igitur Strabonem, quem regionum illarum patriae suae vicinarum peritissimum esse et alio loco alium Polemoni patrem nominare constat, vix credibile est, sed corrupta esse verba illa equidem existimo. Incertum est quomodo sint corrigenda, sed perspecta re ipsa Arsaces, quem contra reges Polemonem et Lyco-

---

[69]) „mutationem generis“ idem fere esse atque „aversam fortunam majorum“ ego existimavi, sed Theodorus Mommsen me docuit, mutatione generis adoptionem quandam forte significari.

[70]) Lycomedes „μέρει τοῦ Καππαδοκικοῦ Πόντου βασιλεύων“ ab Augusto post pugnam Actiacam regno pulsus est (Dio 51. 2). Recte Lycomedem a Hirtio l. s. s. Bithynium nominari, demonstrari videtur nummis urbis Prusiae (Cius) Bithyniae ab Oradaltide „filia regis Lycomedis“ signati (Eckhel D. N. II, 446 et num. vet. anecd. 192, accuratius dep. ap. Neumann numi pop. et reg. II. Tab. I, 4 et p. 16). Quem regem Lycomedem eundem esse, atque Polemonis contra Arsacem socium, nummorum fabrica et metallum, Augusti magis tempora quam regum veterum Bithyniae indicantia, mihi comprobare videntur. Successit Lycomedes Archelao, regis Cappadociae Archelai avo (Strab. XVII, I, 11 et App. Mithr. 121) sed perperam dicit Eckhel (D. N. III, 201) regem ipsum sacerdotio Comanorum Ponti insignem fuisse.

medem seditionem concitasse Strabo narrat, filius Pharnacis regis fuisse et pro: *διεφθάρη ὑπὸ τῶν Φαρνάκου τοῦ βασιλέως παίδων Ἀρσάκης* potius: *διεφθάρη εἷς τῶν Φ. τ. β. π. Ἀρσάκης* scribendum esse mihi videtur. Tacentibus vero scriptoribus de Arsace isto conjecturam probabilem facere non possumus.

Zenonem Laodicensem Polemonis regis patrem a M. Antonio civem creatum esse et M. Antonii nominibus usum esse demonstratur nummis, quos posteri Zenonis, Antonii Zenones et Polemones Laodiceae et Smyrnae sacerdotes et archontes cudendos curaverunt. Quibus ex nummis unum proponam, quod a Koehnio[71]) perperam Polemoni nostro Ponti regi adscriptus est. Qui nummus a Koehnio sic describitur:

Av. Tête laurée de Marc-Antoine à droite. La legende est effacée.

Rv. (ΜΑΡΚΟΥ) ΑΝΤΩΝΙΟΥ — [monogram] — ΥΙΟΥ — ΖΗΝΩΝΟΣ· Zeus, lauré, vêtu du chiton podérès et de l'himation, porte sur la main droite étendue un aigle et retient son vêtement avec la main gauche. Æ. 8.

Cujus nummi epigraphen, excepto ΜΑΡΚΟΥ, quod incertum est, recte ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ legisse Koehnium nummi alii Laodiceae eodem monogrammate [monogram] insignes docent[72]). Perperam vero caput

---

[71]) Koehne mus. Kot. II, 169. Ejusdem nummi iconismus quem vide ap. Koehnium mém. de la soc. d'arch. de St. Pétersb. vol. VI, 245 pro epigraphe ΜΑΡΚΟΥ litterarum tantum vestigia habet.

[72]) Eodem monogrammate inscriptus est nummus musei regii Berolinensis, de quo jam supra actum est:

nummi M. Antonii esse laureatum putat. Nunquam enim M. Antonius neque in nummis extra urbem signatis neque in romanis laurea, quam Caesari quidem et Augusto, sed non Antonio decretam esse constat, ornatus est. Solam coronam hederaceam Baccho consecratam gestat Antonius turpis Bacchi aemulus in nummis argenteis Asiae provinciae typis bacchicis insignibus, qui cistophori vocantur. Caput igitur laureatum in nummo a Koehnio descripto non est Antonii, sed imperatoris cujusdam vel, quod comparatis nummis aliis veri similius videtur, populi, *τοῦ Δήμου,* Laodiceae caput. Eandem fere posticam alii Laodiceae nummi sub imperatoribus cusi exhibent[73]), quorum unum describam,

---

Av. Caput imberbe laureatum dextrorsum, Neroni simile.
ΔΗΜΟΣ·ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ.

Rv. Juppiter stans.
ΕΠΙ·ΙΕ·ΖΗΝΩΝΟΣ·ΠΟ·ΥΙ — ⳨·Δ·

Æ. 4.

et nummus Laodiceae et Smyrnae (Rev. num. belge Val. IV (1860), p. 21, tab. V, No. 7 et Berl. Blätt. f. Münzk. Vol. I (1863), p. 264 et tab. VIII, 6:

Rv. . . . ΑΝΤΩΝΙΟΣ·ΠΟ·ΥΙΟΣ·ΖΗΝΩΝΟΣ

Æ. 6.

de aliis nummis a Polemonibus Zenonis filiis signatis vide annot. seq. descriptos.

73) Nummos similes vide: Beiträge z. älteren Münzk. (Pinder u. Friedlaender) Taf. II, 21, a Polemone Zenonis f. Claudii temporibus signatus. Alios ejusdem generis nummos vide: Eckhel D. N. III, 161 f. et in museo regio Berolinensi etc. Qui nummi omnes a Polemonibus vel Zenonibus vel ab aliis signati sunt et in parte antica caput imperatoris cujusdam vel caput *τοῦ Δήμου* laureatum exhibent.

quod nomen sacerdotis vel archontis, qui nummum a Koehnio descriptum signavit, accuratius definit. Quem nummum vide a Sabatiero negligenter descriptum: revue numism. belge Vol. IV (1860), p. 21 et tab. V, No. 7 depictum. Tito et Domitiano perperam est adscriptus:

Av. Capita se respicientia laureata.
ΔΗΜΟΣ·ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ·ΚΑΙ·ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ·
Rv. Juppiter Laodicenus stans d. aquilam.
ΕΠΙ···Λ··ΑΝΤΩΙΝΟΕ·Π·ΥΙΟΣ·ΖΗΝΩΝΟΣ·
Æ. 6.

Epigraphen ΑΝΤΩΝΙΟΕ — in descriptione nummi dicitur ΑΝΤΩΝΙΟC — a pictore perperam et negligenter pro ΑΝΤΩΝΙΟΣ positam esse nemo non videt. Cui nominativo respondet ΥΙΟΣ in iconismo accurate expressus[74]). Capita partis anticae *τῶν Δήμων*

[74]) Nomen sacerdotis vel archontis nominativo expressum vide in nummo simili musei regii Berolinensis:

Av. ΔΗΜΟC·ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ· caput laureatum barbatum.
Rv. Juppiter stans.
Π·ΑΙΛΙΟC·ΔΙΟΝΥCΙΟC·CΑΒΙΝΙΑΝΟC·
Æ. 5.

Dixi nummum perperam Tito et Domitiano esse attributum. Cujus erroris causa haec est: Nummus similis Laodiceae (Mionn. IV, 321. 730 ex museo Theupoli descr.) ab auctore musei Theupoli Tito et Domitiano adscriptus est propter typum duorum capitum et epigraphen: ΑΥΤΟΚΡΑΤ·ΤΙΤΟΣ·ΑΝΤΟΝΥ·ΚΑΙ·ΝΕΡΟΣΤΟ· Quam epigraphen ineptam et male lectam esse jam Mionnet (Vol. IV, 321. 730) comprobavit. Unde sequitur nummum non Titi et Domitiani, sed *τῶν Δήμων* Laodiceae et Smyrnae capita exhibere. Quae fuerit epigraphe, incertum est, tamen *τὸ* ΑΝΤΟΝΥ indicare videtur fuisse epigraphen simi-

Laodiceae et Smyrnae capita esse et epigraphe ipsa et alii nummi Laodiceae et Smyrnae Antoninorum vel Hadriani[75]) temporibus cusi docent. Posticae epigraphe: ΑΝΤΩΝΙΟΣ · ΠΟλέμωνος ΥΙΟΣ · ΖΗΝΩΝΟΣ nummum quem supra ex Koehnii libro attuli, ab eodem forte viro, ab Antonio Polemone Zenonis filio cusum esse demonstrat, quum singula nomina in nummo Koehniano: ΑΝΤΩΝΙΟΥ · ΠΟλέμωνος ΥΙΟΥ · ΖΗΝΩΝΟΣ · ita posita sint, ut nummus non ab Antonio Polemone, sed ab Antonio quodam Polemonis filio Zenone cusus esse videatur. — Quae litterae in nummo duobus capitibus insigni incertae sunt: ΕΠΙ · · · Λ · · ego ΙΕΡΕΥΣ corrigendas vel supplendas esse censeo, neque enim ΕΠΙ cum nominativo sensum habet, neque epigraphen quam alii, sed maximi moduli nummi Smyrnae eodem fere tempore signati exhibent: ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ · ΑΝΕΘΗΚΕΝ[76]) in nummo Sabatieri, qui nummorum illorum typis et forma similis non est, supplendam esse quidam existimabit.

---

lem iis quas nummus Koehnianus et is, quem ex „revue num. belge“ attuli, monstrant. Idem existimat cl. de Rauch qui nummum similem describit in Berl. Blätter f. Münzk. 1863. Bd. I, 5. 264 et tab. VIII, 6.

[75]) Nummos illos Hadriani vel Antoninorum temporibus signatos esse demonstrant nummi P. Aelii Dionysii Sabiniani, quorum alter (annot. 74) forma et fabrica iis simillimus est, quos descripsi, alter se Antonini Pii temporibus signatum esse capite et epigraphe imperatoris indicat. Quem nummum vide ap. Mionnetum II, 323, No. 745 descriptum.

[76]) Eckhel D. N. III, 163. Sunt nummi Laodiceae vel Laodiceae et Smyrnae a P. Claudio Attalo, Polemonis philosophi filio sub M. Aurelio cusi.

Jam supra in annot. 71 dictum est, exstare nummos iis quos descripsi simillimos capite *τοῦ Δήμου* et nomine P. Aelii Dionysii Sabiniani insignes aliosque ab eodem Sabiniano signatos, quorum anticae caput. Antonini Pii impressum est, iisque nummis demonstrari, illud nummorum genus Antoninorum vel Hadriani temporibus esse signatum. Quae quum ita sint nummus a Koehnio Polemoni I adscriptus et nummus Sabatieri et Rauchii aliique ejusdem typi nummi ab Antonio Polemone philosopho, Trajani, Hadriani, Antoninorum amico signati esse videntur. Quem Polemonem habuisse Antonii nomen gentilicium demonstrat titulus quidem Smyrnaeus[77]:

Και οσα επετυχομεν παρα του Κυριου Αδριανου δια | *Αντωνιου Πολεμωνος*

et Philostratus, qui Polemonem philosophum *Αντώνιον Πολέμωνα* appellat[78].

At etsi omnino certum non sit, nummos quos descripsi a Polemone philosopho[79] cusos esse, hoc tamen constat, nummum a Koehnio Polemoni I. Ponti regi adscriptum imperatorum aetate a sacerdote vel archonte

---

77) Corp. inscr. gr. No. 3148.

78) Philostr. vit. soph. I, 25. Quum Philostratus in describenda Polemonis vita multa de Antonino Augusto dicat, nonnulli perperam scripserunt *Ἀντωνῖνον Πολέμωνα* pro *Ἀντώνιον Π.* A Kaisero nomen *Ἀντωνίου* ex corr. cod. Par. omnino exstinctum est, etsi dubium non sit, Polemonem nomine *Ἀντωνίου* usum esse et Philostratum recte cognomini gentilicium nomen addidisse.

79) Certos Polemonis philosophi nummos Smyrnae signatos vide Eckhel VI, 535 et Rollin catal. II, No. 5404 cum capite Hadriani et No. 5405 cum capite Sabinae.

quodam Laodicensi, sed non M. Antonii temporibus a rege Polemone esse signatum.

Jam sequitur unicum Polemonis I certae fidei numisma, quod in Ponto, quem anno 718 jam in Polemonis potestate fuisse supra memoravi[80]), signatum esse nummi fabrica et valore similes Pythodoridis Polemonis uxoris et filii regis, Polemonis II, qui amisso Bosporo Pontum tenuerunt, demonstrant. Quem Polemonis I nummum vide ap. Koehnium. Mus. Kot. II, 175 depictum:

Av. Caput Polemonis diadematum dextrorsum.

Rv. Stella octo radiorum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ·ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ·ΕΥΣΕΒΟΥΣ

AR. 4. Drachma vel Denarius.

Typum posticae significare „la vénération de Polémon pour son père“ perperam judicat Koehne. Notum est illud solis signum in nummis regum et urbium Asiae perfrequens. Epitheton ΕΥΣΕΒΗΣ ex nummis vicinorum Cappadociae regum sumptum est. Quo anno nummus cusus sit, omnino incertum.

Restant alii Polemonis I nummi ab Eckhelio[81]), Vi-

80) Constat ex Dione aliisque, Antonium a. V. C. 718 Asiae minoris varia regna variis regibus adjudicasse multosque reges et dynastas regno ejecisse, qua re et Polemo I hoc ipso anno Ponti rex constitutus esse videtur. Vide Dionem 49. 32.

81) Eckhel D. N. II, 369. In catalogo nummorum Welzl de Wellenheim. Vindob. 1847. Vol. I, No. 4661 hic nummus Polemoni I adscriptus est:

Av. Tête diadémée de Polémon I à droite.

Rv. ... ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Tête nue d'Auguste à dr. Æ. 4.

Quem nummum epigraphe omni praeter ΣΕΒΑΣΤΟΥ contrita Polemoni adscribere magnae est temeritatis.

scontio, Koehnio descripti, qui quum neque ab Eckhelio neque ab aliis quos nominavi visi et ex libris Vaillantii, Patini, Seguini descripti sint, aut omnino falsi aut dubii sunt habendi:

1. Av. Caput regis diadematum dextrorsum.
   ΒΑCΙΛЄΩC · ΠΟΛЄΜΩΝΟC ·
   Rv. Caput M. Antonii dextrorsum.
   Μ · ΑΝΤΩΝΙΟΥ · ΑΥΤ · ΤΡΙΩΝ · ΑΝΔΡΩΝ ·
   AR. Patin ad Sueton. p. 278.
2. Av. Caput regis diademat. dextr.
   ΒΑΣΙΛΕΩΣ · ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ·
   Rv. Caput Augusti dextr.
   ΚΑΙΣΑΡΟΣ · ΣΕΒΑΣΤΟΥ ·
   Æ. Seguin. num. sel. p. 317.
3. Av. Caput regis diadem. dextrorsum.
   ΒΑΣΙΛΕΩΣ · ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ·
   Rv. Caput Augusti dextr.
   IMP · CAESAR · AVG ·
   Æ. Vaillant Achaem. imp. p. 230.

Nummus primus Antonii et Polemonis capite insignis foedo Patini iconismo memoriae proditus sed a nemine visus est. Fuisse denarium, si re vera exstat, nummus Polemonis genuinus quem descripsi docet.

Nummus alter, etsi typi nihil novi offerant, neque inusitati aliquid habeant, tamen quod aereus est, aut fusus aut falsus esse videtur, aereis Zenoidarum nummis adhuc non repertis[82]). Tertium vero nummum a Vaillantio more solito foedissime depictum capite Polemonis

---

82) Polemonis II nummos aereos, quos Koehne descripsit, omnes aut dubios aut spurios esse alio loco docebo.

et Augusti insignem et, quod in nummis regum Ponti nunquam observatur, graece ac latine inscriptum, spurium habendum esse nemo non videt[83]).

Praeter nummos quos uno excepto fide carere docui, monumentum Polemonis nomine insigne adhuc non repertus est. Constat ex Dione Polemoni a. V. C. 721 Armeniam minorem a M. Antonio traditam[84]) regemque a. V. C. 728 ab Augusto socium et amicum P. R. dictum esse[85]). Necatum esse regem a finitimis barbaris Strabo duobus locis narrat[86]), sed incertum est, quo anno. Exstant nummi nonnulli aurei a. V. C. 746/47 — 761/62 cusi quos a Mommseno Polemoni nostro recte adscriptos esse[87]) existimo.

Quae de his nummis et de iis qui a Polemone Olbae rege[88]) ac pontifice et a Pythodoride Polemonis I vidua et a Polemone II Ponti rege cusi sunt, disserui, alio loco, si fieri potest, publici juris faciam.

---

83) Risum movet nummus a Fr. Lenormant Desd. méd. de M. Behr. p. 53, tab. I, 4 sic descriptus:

Av. (BACIΛЄωC) Π(OΛЄMωNOC). Tête diadémée de Polémon I à droite.

Rv. ··AGRIPPA·TR·POT·· Tête nue d'Agrippa, à droite. Æ. 5 (inédite).

84) Dio 49. 44. 85) Dio 53. 25.

86) Strab. XI, 2. 11 et XII, 3. 29.

87) Mommsen Gesch. d. röm. Münzw. 702 Anm.

88) Rex appellatur Polemo Olbae pontifex in nummo aereo tertiae formae quem vide depictum: Berl. Blätter f. Münzk Vol. II, tab. XXI, No. 8 et a Koehnio descriptum p. 265 f. ubi praeclarum suum M. Antonium laureatum iterum recoxit.

VITA.

Ego Alfredus de Sallet natus sum a. d. XIV kal. Aug. a. MDCCCXLII Reichavii prope oppidum Nemetum Silesiae patre Friderico, quem praematura morte mihi ereptum lugeo et matre Carolina e gente de Burgsdorff. Anno MDCCCXLIIX mater mea nupsit Theodoro Paur ph. Dr. Nissensi optimo mihi patri futuro. Fidei addictus sum evangelicae. Frequentavi gymnasium quod est ad aedem St. Mariae Magdalenae Vratislaviae et gymnasium Gorliciense ubi testimonium maturitatis nactus sum a. MDCCCLXII. Interfui in hac litterarum universitate per septies sex menses scholis v. v. doct. Boeckh, Friederichs, Huebner, Mommsen, Trendelenburg, Werder aliorumque et frequentavi exercitationes archaeologicas Gerhardi et Mommseni antiquarias. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago imprimis vero Gerhardo et Mommseno, quibus benignissimis atque doctissimis praeceptoribus per totam vitam semper habebo gratum animum. Magnam quoque gratiam debeo viro cl. Dr. Julio Friedlaender, nummorum veterum in museo regio praefecto.

THESES.

1. Verba Strabonis (XII. 3, 38): *διεφθάρη ὑπὸ τῶν Φαρνάκου τοῦ βασιλέως παίδων Ἀρσάκης* in: *διεφθάρη εἷς τῶν Φ.,τ. β. παίδων Ἀ.* esse emendanda.
2. Figuram alatam in nummis Terinae obviam esse Victoriam.
3. Deam, cujus caput sistunt Decadrachmarum Syracusanorum et nummorum Punico-siculorum major pars, esse Proserpinam.
4. Iis, qui archeologiae operam dant, rerum naturalium scientiam esse utilissimam.
5. Non plane inepte nonnulli A. Hirtium a. 708 praefectum urbi fuisse contendunt.